consilium mutandum censeremus satis causæ non in- de Ao 1598.
venimus. Scripsimus igitur ad Nemausenses in ean-
dem, uti præsentem etiam literas, quarum exempla
hisce adjunximus. Speramus autem illos tandem
precibus nostris cessuros. Itaque tuum adventum, quan-
tum omnino fieri potest maturabis, operamque da-
bis, ut quâcunque commodâ et legitimâ ratione
istinc te expedias, atque cum tuis itineri com-
mittas, ac te nobis Academiæque Heidelbergensi
feliciter sistas. Quod te facturum pro nostra
erga te benevolentia confidimus. Vale data VII.
octobr 1598.

[illegible]
D. Julium Pacium betreffend
[illegible] der Stadt Nimes
[illegible]

316)

Illustrissimo Potentissimoque Principi,
D. Friderico IV. Comiti Palatino, Electo-
ri S. Imp. Archidapifero, Duci Bavariæ,
D. suo Clementissimo, ejusdemque secreti-
oris consilii Amplissimo legationem
suam amplius declarat Hieremias
Reignaudes, Jur. D. à Nemausensibus
Delegatus.

Etiamsi ex literis Christianissimi Regis nostri
Henrici IV. Vice Regisque D. Ducis à Vantadorio, Celsi-
tudini totiusque Provinciæ Narbonensis, Magistratuum,
consulumque civitatis Nemausensis C. T. P. R.
Illustriss. profectionis et legationis meæ tum cau-
sam, tum legationes satis superque intellexerit: nihil-
ominus, ut brevius paulo, et si fieri potest, apertius
easdem exponam, officii mei ratio postulare videtur,
impetratâ prius à T. C. ex benign. veniâ, cum quâ
expendendum eidem, si complacitum sit, et ejusdem
ordini amplis. examinandum, si videatur scripto
hoc adeo exhibere. Desævit tandem aliquando furor
ille bellicus, cessitque diuturna illa bellorum civilium
iniquitas, summe P. R. pacem regno quæsitum juvit...

simus Henricus IV. Rex noster, edixit, promul-
gavit: utimur omnes pacis hujus bono: subit
Nemausensis desiderium redintegrandæ Scholæ
suæ: in D. Pacium ora ferunt, magnis sumtib[us]
redimunt, conveniunt: nobis ille pactis se
adstringit, dedit, gaudens conditionibus oblatis,
loci opportunitatem, aëris amoenitatem,
gentis mores omnino ad genium suum facere
profitetur, optare se nobiscum vitam agere
tum peragere: Illius votis adstipulantur
omnes Ordines, applaudunt, obsecundant, sti-
pendia decernunt, ampliora certe, quam reliq[uis]
Collegii sui Professoribus ac praeceptoribus simul
et cumulate: illi ut satisfieri possit conju-
gimus ad Illustrem Regiam: Ea majorum suo-
rum studio et propensioni in Academiam
nostram accrescere potius, quam decedere
quidquam vinse volens, ejus statum auget
munifice ac liberaliter dotat: Insuper ut au-
ctius fiat didactrum, incredibili adeo amore
moti sunt omnes cives, ut impensi, et exigi
à se residuum expostularint. Honestum
itaque conflatur et constituitur Honora-
rium, quadringentorum et quadraginta quinq[ue]
aureorum nummorum. Multa eidem indul-
gentur beneficia in Articulis jam celsi-
tuae traditis, ita ut vix quisquam nostrum
Cl. sibi in mentem inducere potuerit, quovis
honorum et officiorum genere tum publice
tum privatim exceptum ac cultum vel
quidem debere aut posse de discessu cogitare
quantumvis abitum ille minaretur, quum vi-
deret sibi stipendium dicta et statâ die nu[merari]
offerri; At egregia illa et sola discessus cau[sa]

esse potuit, exilis sanè aut planè nulla inter bonos be-
nè agier oportuit: eoque exhausti reverâ fuerant
P.R. humaniss. loculi publici non ita pridem, tum ob
esset totius familiæ commeatum, et migra-
tionem ad nos, tum ob suppellectilis et bibliothe-
cæ numerosæ vecturam, simul et obnovandas
ornandasque Gymnasii nostri ædes, ut priori-
bus anni mensibus ipsâ statim cedente die præmi-
um numerari non timuerit: neque periculum ullum
fuit in mora: ad libitum illi deinceps persol-
lutum, ac post gravem illam de solutionis
mora querelam hactenus justo tempore sa-
tis factum. Officio defuncti pacatum illum
et sedatum planè credebamus, cum ecce nunci-
um à C.T. Potentiss. P.R. consiliorum, utcunq;
demum abducere cogito sistem suam, quam jam C.T. cele-
rius paulo, dicam alii inconsultisque, obstrinxerat li-
beraret. Id ex literis suis didicimus P.R. Benigniss.
quod ipsi Pacio proloquenti credere non pote-
ramus: ea procul dubio petitioni vestræ acquiescemus,
si non omninò nobis suasset persuasum fore,
ut gravissima vobis viderentur causa, quibus mo-
vebamur, à C.T. flagitare, ut eundem nobiscum
cederet, largiretur, ne dicam deferret. Scriptis
C.T. mentem nostram aperuimus additis precibus,
in suorum lamem ea propendit, delata est: pugna ge-
runt eam propriæ universitatis et studiosorum amor
gemitus expostulationes. Eadem illa nobis protulit
T.C. in posterioribus ad nos literis cum identica jus-
sione et hortatione, quâ demò interpellat nos
ut D. Pacio liberum ad vos aditum relinquamus.
Non potuit nobis venire in mentem, Æquiss. ac sum-
me P.R. innotuisse vobis rationes, quas priori tus ad
vos literis mandaramus. Responsum urgenti tabel-
lario indicamus, velle nos quempiam ex civibus no-
stris ad C.S. delegare, qui vivâ voce totam

negotium eidem denotaret, ac retentionis D.
Pacii causas coram exponeret. Praeterea per,
spexissemq; Regem nostrum clementiss. quae ejus cu,
ra est scholae nostrae, res nostras satagere, diffilice,
re illum obicem illi ejus incremento objectum,
habere in animo per literas C. T. rogare, ut bo,
no nostro nos perfrui vellet. A Regia Mte lite,
ras expectamq. Cels. T. munici reditum differt
consulto, sperans, eum, qui delegaretur comi,
tem se in itinere habiturum. Cum praeter spem
et votum Regis literas tardius ad nos perferri
et reddi prospiceremq, tabellarium alitre equis
et consultiq duximq monentes D. Pacium, ut C.
T. certiorem faceret, ~~quod~~ mox legatum nostrum
adventurum: quod illico factum fuisset, si omnes
in unam eandemq; sententiam ivissent. Pontificii
quippe et eorum è nostris non pauci suffragatores
in contrarias partes cum distraherentur, ta,
lem profectionem minimè utilem judicabant,
nostris utiler videbatur: decernunt itaq;
eundam. Omnia jam parata erant ad iter, cum
illi ut nova consilium nostrum dissiparent, deli,
berari adhuc petunt, nova argumenta fictitia
praetexentes ac proponentes. Ea tanti mome,
ti non sunt visa, quae nos de proposito dimove,
rent: confirmatur pridie cretum, peragitur
delegatio, et quidem serius, quam car fuit et
quam optassemq. Ex altercatione illa natam
moram audiit et credit T. C. R. clem: Serò ma,
luimus, quam numquam, ut aliis placuit: imò in tam
serio negotio, utpote pleraq; Galliarum Provin,
cias tangenti, maturandum lente, et festinan,
dum cunctanter fuisse forte videtur. Causae
tardi mei adventus, reorq; auditis, et necesse fuit,
ne fortasse inauditi atq; indefensi tamquam

volentes et ingrati de gratia vestra deturbaremur,
et periremus. Sciebamq animum tuum R.C. hu,
manissi. a vindicta ad lenitatem cum judicio incli,
nantem ratione temperari, nec actione statim
exsultare, quidquid sinistri præsentire ex iniqua
delatorum atq procaci voce. Illud e sincero cordis
C.T. coram profitemur, peccatum hoc mora ab,
sit ut opprobrium dicam, nec ex levitate, nec ex
superbia aut infamia, nec ex injuria processisse: nec
diffidimq, cum benigne et clementer vitium tale ac,
cepturam, siquidem verum te justumq Princi,
pem omnes gentes prædicent, cujus clementia virtus
qua Principes potissimum gentibus commendantur
T. Cni alumnum esse non ignorabamq, sed eo illam
ad ulciscendam non uti edocti eramq. Nec minus be,
nigne et benevolo animo excipietis, quæ jam dictis addam,
ut magistratuum nostrorum circa D. Pacii retentionem
factum demulceam, et civium Nomansensium jus tuear. Ve,
nit imprimis recidenda et retundenda libertas illa, quam
D. Pacius prætendit: an hujusmodi libertatem ullam evincat
pacta conventa ex eorum tenore et contextu jam potuit
T.C. animadvertere: pure illa et simpliciter concludunt,
tempus nullum ibi definitum, nulla adjecta conditio.
Verum cum concessio non possit magis ad unum tempus
quam ad aliud referri, præsumi debet perpetua argu,
mentatio l. obligationum ferè §. placet D. de obli,
gat. Menoch. præsumpt. c. IX. n. 7. Parum ad rem
emphyteusin in dubio præsumi perpetuam, ut docet idem
Menoch. ibid. non tamen omnino extra rem. Nec obstat
quod quidam tenent, non posse quem operas suas
locare in perpetuum id enim contrarium est
communi opinioni, ut patet ex commun: opin.
tomo 2. loco 5. Et confirmatur l. si hi. juncta gl.
Choati. Sicq sentiunt Guido Papa q. 314. et Stok:
Faber justit: de jure person. nolumq tamen infer,
re, debere illum nobis in perpetuum addictum esse,

siquidem nulla ejus rei mentio in articulis; id autem arbitrium boni viri esse omnes opi-
nantur, ad longius tempus debere quàm unius anni, quandoquidem concessa sine præfinito tempore ad decennium concessa videri argu.
ad Bart. ex l. sine præfinito D. de precariis. Et sen.
Bald. in l. 1. prin. D. si aq. vectig. vel Emphyteu. fiet
et l. 1. n. 2. C. de postul. Utique si voluntas contra-
hentium magis quàm verborum conceptio inspicienda est, multo potiori jure ubi verba contrahentium voluntatem nulla ratione impugnant aut infringunt, tunc maximè at-
tendenda erit eorundem mens, et juxta eam judicium dandum: Eum v. fuisse D. Pacii animum, ut diutiùs quam per unius anni spatium apud nobis profiteretur, ex ipsis con-
ventionibus fit manifestum: strictè namque adeò et cautè nobiscum non convenisset, si vix absoluto primo anno, imò vix per trime-
stre professus abire decrevisset. Voluit in sin-
gulos annos sibi præscribi certum premium: quis non videt indefinitam locutionem? quæ cum ad futura extendatur regulariter Bart. in l. si ita D. de auro et arg. leg. de hoc, nec illo anno tan-
tùm intelligi sit absonum et iniquum: Quo-
rum enim in singulos annos salarium mihi ca-
verei rebo, si hoc tantùm anno statui percipe-
re! quicquid in pactis continebar, id indefinitè scriptum est: nec est verisimile vel præ-
sumendum D. Pacio, cùm optimè nosset, et præ-
sciret immensos ita sumptus oportere nos hac in parte facere, fuisse in mente cùtrado,
tum, et malam fidem unum tantùm annum vel potiùs per tres menses nobis inservire.

Praetereà quos sumtus in aedificium collegiis impen,
di postulavit in tantum, ut multa non necessa,
riò aut utiliter, sed adornatum et decus, imò et ad
voluntatem, nutum, placitumque ejusdem facta
fuerint? Ecquid hoc esset, si non illudere,
vel deludere esset? Inde magis apparet ejus
voluntas, longiùs apud nos commorandi, quod
perpetuus Rector dici voluit et scribi: atque
ex eo maximè, quod diploma Regium sibi concedi
tam avidè flagitavit, hoc est literas, quas voca,
mus, NATURALITATIS, quarum ope cives et
adscitos, αὐτόχθονας originariosque et peregrinos adve,
nas ἐξωτικοὺς factos tanquam naturales cives
et regnicolas posset in toto regno adquirere, con,
trahere, ad officia publica promoveri, dispone,
re, cum alias si qui exteri, albini, id est alibi na,
ti, Μετοίκους in Galliis vitâ fungantur, non na,
turalisati, aut affiliati, ut nostri loquuntur, jure
Albanagii, id est, jure peregrinitatis Regi ob,
veniant eorum bona eadem ratione, quâ idem
succedit in bona vacantia morientium sine pro,
ximis, uxore, sociis &c. Hoc beneficio utitur D.
Paces nostris impensis, quod tantopere non
expetiisset ad breve adeò tempus. Haec omnia penitus
libertatem, quam sibi reservatam gloriatur, pes,
sundandae, et excusandae Magistratuum discessus
prohibitioni inserviunt ut plurimum. An quis
creatum D. Pacium meritis à consulibus nostris
expensarum, atque interesse solutioni satisfacere
aliter, quam sancita persona non posse illi judi,
carunt: nec hoc civitatis vel Ecclesiarum, sed Regiae
authoritatis, quam idem illi prae se ferunt,
factum est, P. R. Clement. Non potuimus nos cives,
quorum res agitur, quin jure meritò conferremus.

in tanto damno et jactura: idq; clementia tua
mirum aut invisum non futurum speravimus,
quam nec tantillum ab acri illo justitiae Sole
secedere omnibus gentibus persuasum C. Tuae
in intimo cordis insculpta esse dicteria illa
Imperatorum Romanorumq. Fiat justitia, et per-
eat mundus, ex aequo et bono. Videatur nihil
omninus non satis vereri et ex officio hac in
parte nos egisse. En P.R. Humaniss. hic Dei
partes agere tibi obvenit, misericordem
esse et justum, cur humanitatem quippe
et misericordiam solam Dei servatur imago,
ut loquitur Imp. Justin. in l. ult. C. de 5. t. 16. —
Sola Deis aequat clementia Reges. Sic etiam
pietate et justitia Principes Dii sunt. Op-
ponant hic Academiae vestrae progressum, quos
meminisse oporteat Imperatoris dicti. QUOD TI-
BI, hoc alteri. Confidimus nos C.T. non ita omni
parte amore sui et favore tinctam, ut non omnia
ex aequo et bono facere velit, atq; eidem improba-
ri Claudii Taciti Imperatoris symbolum, SIBI
BONUS aliis malus: impium habere illud Euphemi
apud Thucididem dogma, PRINCIPI VIRO nihil in-
justum quod infructuosum: exosum esse Luca-
ni Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
incipit.
et Caracalla perniciosum, ac nefarium censeri, LI-
CET, SI LIBET. Contra illum amplecti aureum Senecae
praeceptum, et vere regium: MINIMUM decere libere
cui nimium licet. Meliori jure Schola nostra clan-
dus et supplicationes à C.T. exaudienda veniret
P.R. benevol. gravis enim detrimentum, et rui-
nam ea patietur, si Pacius inde eximatur.

Etenim qui eo magno numero et frequentia jam con-
fluxerant, coguntur ut jam coguntur frustranei istinc
sibi secedere. Permulti, quorum aures rumor iste jam
perstrigit, alio divertent et subinde divertunt. Ad-
dendum, quod si Sol iste desinat collegio nostro illucesce-
re, nihil praeter tenebras in eo residebit, cum illius
luce sola luceat: vix lucem suam in posterum re-
cipiat oculo isto orbatum, vestra jam inde à Ruper-
to II. felicis memoriae Elect. Palat. vestra Academia,
et ab Urbano VI. instar Parisinae confirmata, à
tuis majoribus SR. Illustriss. aucta, tuta, ornata, à
sui ipsius celebritate splendorem suum retinet, et
sola nominis famâ studiosos ad se allicit, invitatque.
Eadem quum plurimis aliis Professoribus clarissimis mu-
nita tegitur firmaturque, vix ut collabi queat: nostra
aliis nudata omnimodo, et huic columnae solum innixa,
ea si detrahatur, corruat illico necessum est. Accedit
quod vestra aliunde commodius et facilius prospicere
possit quam nostra. Habetis et in vicinia à quibus ma-
gni nominis viros in ea facultate electos, nec pere-
grinos: Cogimur nos apud exteros hujusmodi viros
emendicare, aut magno cum detrimento fortu-
narum redimere: Cui verò non est notissimum Ger-
maniam utramque matrem esse et sedem literato-
rum: at apud nos Minervae alumnos et adultos
jam dudum Bellonae viribus magnâ ex parte suffo-
casse! Haec omnia examinans Regia Mtas Vta lite-
rarum et armorum ex aequo cultrix, prompto, para-
to, et propitio in gymnasium nostrum animo C.T. sum-
me PR: rogat, ut eidem libeat Academiae nostrae hac
in parte indulgere, eam sinat languescentem, laben-
temque tersis demum Martis illo pulvere sub
felici arbore Minervae prefecto Pacis caput suum
pressum diu antehac barbariae jugo jam tandem
attollere. Idem etiam vicerex orat, Regnorum te-

nens in Provincia nostra D. à Vitalorio, Dux
potentiss. ac rei literariae summus cultor, Conne-
stabilis regn. Idemque à C.T. ut exorent totius Pro-
vinciae Narbonensis incolae, ac studiosorum ingē-
numerus supplices C. Tuae manus per me ferunt.
Haec omnia C.T. si non movent, saltem moveat Ec-
clesiarum causa. Haud dubio cum nullae extent
in tota Gallia Universitates, ubi verae et nostrae re-
ligionis juvenes philosophiā possint imbui, quan-
ta mora et impedimentum illorum studiis Theologi-
cis inferatur nemo est, qui non intelligat. Nec di-
ci possit, quibus artibus Pontificii abitum, imò expul-
sionem D. Pacii procurent. Coquit ipsos Religionē
provehi, stabiliri, parari aculeos, quibus retun-
dantur eorum sophismata, technae. Quàm grave,
eheu, et invisum oculis nostris plurimos apud nos
de vera fide decedere, non paucos dubios haere-
re, alios titubare, atque jam casabundos apostasiam
in vultu ferre, sophismatum Sorbonisticis aut
Jesuitis (: proximè namque nobis adjacet Avenio se-
des haereseōn :) praeoccupatos! Quàm aegrè pungit
eos, unum aut alterum ex Judicibus nostris, non in-
doctos aliòquin vacillantes, imò jam paratos Papisti-
cos coetui inscribi de opinione illa impia Philoso-
phiae, ope D. Pacii dejectos, permansisse in Ecclesiae
gremio. Ita me Deus amet, sic apud nos vivitur,
ut qui extremo labello scientias degustavit, re-
ligionis semitarum anfractus ipsorumque perlustra-
re, patres delibare, ita ut alium minus sapiens
in Labyrinthum opinionum, et phantasmatum
progressus magno negotio inde salvo fidei hono-
re et puritate sese possit efferre. Dolendum sane
et commiseratione dignum exiguo adeò numero
nobis superesse, qui devios hujusmodi Philosophi-

cis rationibq queant in viam reducere. Consul-
tum Ecclesiis optime jam tandem ex adventu D. Ba-
cii exsultabant omnes: hinc inde studiosi, ac inpri-
mis Theologiæ ad nos convolabant, et plures ad huc
confugere parati proscriptis dentis et de regno pul-
sis Jesuitis, eversoq celeberrimo illo Turnonensi
Collegio ejusdem sectæ, quo et alio ad eosdem etiam
nostræ religionis adolescentes ablegare cogeba-
mur, ut philosophiæ Principiis imbuerentur,
unde permulti illorum erroribq imbuti redibant:
et cogemur malum posthac, si forte nobis Pa-
cem T. C. non largiatur. Religionis causa qui C.
T. potissima videatur, nobis dubium nullum est,
qui probe instructissimum eam te, PR. Christianiss.
in tenui adhuc ætate strenui apud tuos summo
in discrimine Electoratus fasces suscipere, ac re-
gisse. O vere justum et legitimum Principem illum,
qui in summo fastigio non Imperio suis magis
quam bonus et pius audire desiderat, ac res diver-
sissimas, potentiam ac clementiam, adeam mode-
stiam miscet: hac ratione omnes populos sibi
devincit: Non ut suis tantum præessent et bene
vellent, sed ut hominibq consulerent. Reges à Deo
missi sunt. Videtur profecto in Palatinorum
Principum sinum collata Religionis apud omnes
defensio. C. Tuæ Illustriss. PR. Antecessores summos
ejq tutores sese semper præbuerunt. Fridericq pia
memoria Pontificiorum authoritatem depressit adeo,
ut à Pio II. excommunicari meruerit. Quo studio
summum illud Celli fulmen, rejectis et pissima me-
moria, Dux Casimirus patruus tuus, summe PR. Religio-
nem fovit, auxit, propagavit? Qua liberalitate et mu-
nificentia omnium gentium, ac præcipue Gallicæ bene-
volentiam et amorem sibi conciliavit? hoc sui a-
pud nos monumentum reliquit, optime meritu

illum de communi societate debere nos illi, qui-
quid sumus, atque adeo T. C.ni P.R.I. Clementiss. cui et
plurimum debere debeamus aliquid concedere
Ecclesiae supplicanti Regi, et viceregi, studiosissi-
mè requirentibus civitati Nemausensi, Provinciae
occitanae, immò et universae Galliae orthodoxae sub-
missè petentibus, Academiae nostrae nutanti ma-
num porrige, vindica à tam exitioso malo. Habebis
te ut majores tuos Ecclesiae patronum, scholae
nostrae protectorem, fautorem, authorem, dum
ejus statum T. C.o non immutabit, Pacis facilita-
ti in obstringendo fidem suam aliquid dimittes
eidemque imperabis, ut operam suam Ecclesiis nostris
impertiatur, quam Academia vestra P.R. Clemen-
tiss. largiri percupit. Periculum profectò sum-
mum est in mora. Certumque et definitivum
responsum à T. C. expectamus, ne nobis tamdiu
in salebra velut haerentibus incertus sit Scholae no-
strae status, et praeripiantur nobis dum opperi-
mur meliora illum formandi et stabiliendi oc-
casiones et rationes. Ita jamdudum tuis et T. C.ni
P.R. Humaniss. variis modis adstrictos arctiss. i-
mà catenà devinctos retinebis et pacem Ecclesiae
dabis —— ignosce puerum
Tum miseris poenaeque genus vidisse precantes.

Datum die XXVIII.
veteres stylo ao 1598.

Hieremias Reynardus Nemau-
sensium delegatus.

217)

Serenissime Princeps, Domine Clementissime
demissè colende.

Literis à T. E. C. acceptis, confestim alteras ad Nemau-
senses magistratus, consules et Pastores perscriptas
ad eum magistratum misi, ad quem mittendae
erant, quamvis